

taneos potestates seu quoscumque rectores per excellentiam nostram aut te in provintiis civitatibus aut locis quibuscumque ordinatos, quos in amministrazione sua deliquisse constiterit, perpenso consilio¹ duximus statuendas, videlicet ut quilibet predictorum et offitiales sui salario suo serenitatis nostre vel comunitatis cuiuslibet provisione statuto debeant esse contenti, ita quod illud salarium, quod sibi in principio sui regiminis offitii gratia provisio nostra decreverit aut libero arbitrio ordinatio comunitatis optulerit, nullo modo, nulla industria, nullo ingenio protrahere liceat vel augere; nec liceat insuper publice vel occulte per se vel per alios ultra, quam [s]it sibi pro suo et suorum salario constitutum, exigere aliquid ab invitis aut ab offerentibus sponte recipere, ita quod toto tempore amministrationis sue tam per se quam per suos manus mundas [ha]beat² et pudicas. Nolumus enim offitiales nostros ad predam nostrorum fidelium aspirare, qui de eorum offitiis preter salarium videntur habere compendium, dum per ipsorum servitia laudem aut laudis augmenta vendicant et ad ipsorum beneficia benivolentiam auguste liberalitatis invitant. Et ut hec nostre serenitatis iussio pena certa coerceat transgressores, statuimus et mandamus, ut, si quis ausu temerario hanc nostram constitutionem in aliquo temptaverit violare, videlicet, ut salarium augeat, recipiat aliquid vel recipi fatiat aut dari alicui de³ sua familia patiat, duplum eorum, que datione vel promissione recepit, comunitati reddere teneatur. Nec ad puniendam eius audatiam ista dumtaxat pena sufficiat, immo ab eo tempore, quo de huiusmodi crimine convictus estiterit, ab⁴ offitio et amnistratione⁵ depositus, qua culpa sui se monstravit indignum, usque ad quinquennium postea ineligibilis habeatur⁴, deinde si, postquam per commissam culpam et penam ad tempus impositam, ut est dictum, offitio privatus estiterit, per obreptionem et fraudem aut modum quemlibet a quocumque vel qualitercumque ad capitaniam vel potestariam aliquam assumptus fuerit, assumptione ipsa velut contra presentem legem facta pro nulla penitus habita, quicquid auctoritate offitii fecerit decreverit aut duxerit modo quolibet ordinandum, tamquam a privato gestum⁶ et persona illicita ordinatum nullam auctoritatem habeat,

1) L. c. p. 59: 'perpense deliberationis consilio'. 2) 'ha' durch Loch zerstört. 3) 'de' auf Rasur. 4) 'ab — habeatur' auf Rasur. 5) So im Orig. 6) Const. imp. et reg. II, 288 Z. 37: 'sentencie . . . tamquam a privatis late'.